

21 september. Vidi boni Imp. [h. e. Friderici III, Austriae Ducis] monumentum Viennæ ad. S. Stephanum.

¶. Sis memor præsentiae et protectionis DEI. Hoc n: die cum, ad celebrandas carissimæ filiæ meæ nuptias, in Rugiam profecturus, Rostochio discederem, inter pagos Finckenthal et Röuershagen, duo lasciuientes equi, trahentes eum currum, quo tres liberi mei, Dorothea filia, et Fridericus et Nicolaus, post matrem et sponsam vehebantur, habenis ex manib: Aurigæ excussis, concitatissimo cursu soluti procedebant. Liberi isti mei, in maximo isto vitæ et valetudinis discrimine, Arnoldo Bulonio, et puerō meo Christophoro Dūcaro, equos istos demum sistentib., mirabiliter seruati sunt. Anno etc. 79. [Senare tillagt:] Error in scribendo commissus est fuit n: ea dies 26. huius.

22 september. Hoc die dux Georgius Megalburgensis fudit Magdeburgensium copias, et circiter 2000 ciuium, et rusticorum interfecit. anno 1550.

29 september. Discessi ex schola Bauarica in Italiā, cum duob. comitib. Ratisbonensibus, Anno. 1553.

Hoc die, Anno etc. 79 in nomine DOMINI et protectione sanctorum Angelorum, cum vxore et omnibus liberis meis, Sundio traieimus in Rügiā, et venimus eo vesperi Bergas, ad Hinricum Normannum eius Ducatus Præfētum, futurum Generum meum.

1 oktober. Anno etc. 85 emigravit ex hac vita, Illustriss. ac optima, Princeps Domina Anna, vxor Ducis Augusti Saxoniæ Electoris etc. Soror Seroenissimi Regis nostri.

Anno 86. eodem die Kalend. Octobris, vita functus est Illustrissimus et Magnanimus Princeps, Dux Adolphus Holsa[tiæ].

6 oktober. Hoc die ♂. quod auspicatum, foelix, et faustum sit, tam pro optima filia et' exoptatissimo genero: quam pro vtraque, Normannorum ac Paselicorum familia celebrantur, mediocri cum solennitate, Bergis in Rugia, nuptiæ filiæ meæ Catharinæ. Anno 79.

7 october. 24. In nuptijs filiæ meæ Catharinæ, quas tam Seroenissimi et optimi Daniæ et Noruegiæ Regis etc. Domini mei clementissimi, quam Illustrissimorum Principum, ac Principissarum etc. Pomeraniæ, ac Megalburgensem, Legati etc. cum nonnullarum ciuitatum et Academiarum Deputatis, honorificentissima præsentia sua, condecorarunt: munera aurea et argentea, sat magno numero et valore, Bergis in refectorio monialium, publicè, cum solennib. orationib. offeruntur. Anno 1579.

11 oktober. Hoc die Berga discessimus, et deduxi carissimam filiam meam, in nomine DOMINI, ad nouum Maritum Hinricum Normannum in prædiūm ipsius auitum, Dubnitze, in Jasmunde situm.

14 oktober. N. B. Anno 86. 24. piè et placidè moritur Illustrissima et Opt. Princeps, Domina Elizabetha etc. Ducissa Megapolensis, Amita et Socrus, Serænissimi Regis Domini nostri clementissimi, Coniunx Illustrissimi Principis Domini Ducis Ulrici etc. in curia Gietzærensi: quo, ipsa Regia Maiestas cum Seroenissima Regina, hospites istos exoptatissimos, in Ducatum Megapolensem

redituros, peramanter deduxerant: vltra tres integras Septimanas, aduersa tempestate, eo in loco, non certè sat commodo, non minus, quam per affec-tam, laudatissimæ istius Principis, valetudinem, detenti.

16 oktober. Hoc die Anno etc. 79 post nuptias filiae meæ Catharinæ in Rugia celebratos, tui Wolgastiæ, apud Illustrissimum et optimum Principem nostrum, Dominum Ducem Ernestum Ludouicium etc. Inde, clementissimè trac-tatus et aurea cathena donatus, postridie discessi.

18 oktober. Veni Venetas, emporium in toto orbe terrarum celeberrimi-mum. Anno 1553.

19 oktober. Nascitur Dargemerus Pasewalck H. 10. post merid. M. 10. Anno 1551. Rostochij.

22 oktober. Veni Patauim. Anno ut š:

24 oktober. Hoc die, inter horam XI. et XII. in meridie. Anno 1575. mortuus est Friderichspurgi d. Palatij Regij Magister, Petrus Oxe de Gijsseldorf.

27 oktober. Anno 1575. moritur Hafniæ, dulcissima et elegantissima puella, filia mea, Anna Paselkes, cum ageret octauum ætatis annum.

28 oktober. Veni Ferrariam, Anno peregrinationis meæ.

Anno 1564. secundo fui in negocijs Regiæ Daniæ Maiestatis, Viennæ in Austria, in aula Imp. Romani, vbi me hoc die audiuit sacratissimus Rom. Imp. Maximilianus secundus, negocia et mandata Domini mei clementissimi propo-nentem. Collegam in ea legatione habui nobilem et optimum virum, D. Georgium Rosencrantzs. Regni Daniæ Senatorem.

Anno 1573. Die 28. huius, celebrantur nuptiæ Illustrissimi Principis Do-mini Christofori Ducis Megalburgensis etc. et Dominæ Dorothæ filiæ Fride-rici primi Daniæ etc. Regis, Ducissæ Slesuici Holsatiæ etc. Coldingæ, cum eodem tempore ibi baptizata esset, filia primogenita Serænissimi Regis nostri, Princeps ELIZABETA.

1 november. Caspar Pasellick<sup>1)</sup>) nascitur, Anno 1530. H. 3. M. 30. post merid. Rostochij.

Hoc die, cum compleuisse annum ætatis meæ vigesimum tertium, veni in academiam Bononiensem, quam rectissimè, et verissimè matrem studio-rum, vocamus, De qua iuste dicitur: Bononia docet. Bononia facit optimos Doctores. etc. Tu cogites, d. D. Mariano Soccino Nepoti, clarissimo in tota Europa ICto, et ipsius Posteritati, te memoria summorum beneficiorum, in perpetuum deuinctum esse.

6 november. 2<sup>2)</sup>) Hoc die Anno 1564. celebrantur nuptiæ clariss. viri domini Joachimi Rajmari I. V. Licentiati et honestissimæ virginis Ilsæ Frijsiæ sororis cariss. vxoris meæ.

21 november. Florentia, la bella.

<sup>1)</sup> ändrat från Pasewalck.

<sup>2)</sup> Ändrat från 2|.